1474 I Septem Sidera [Wyd. Jan Brożek].

(Cracoviæ, In Officina Francisci Cæsarii), [1629].


Odnaleziony we Fromborku poemat religijny *Septem sidera*, wydany w 1629 roku przez Jana Brożka jako autentyczne dzieło Mikołaja Kopernika. Dziś wiadomo już, że dzieło to nie wyszło spod ręki toruńskiego astronoma.

Copernici Nicolai: Septem sidera.

I

SEPTEM

SIDERA.



VRBANO VIII. PONTIFICI Optimo Maximo.

REGIS Regum incunabula & pueritiam, Beatiſsime Pater, ſeptem tabellis Tuæ Sanctitati offero. Nouum eſt picturæ genus. Non enim lignum, non æs, non tela defert iſtas imagines, ſed cælum. Color etiam in denſiſsima nocte ſpectabilis. Artificium porro tantum, vt vel Apelli non cedat: dubito an non ſuperet. Quadraginta octo imaginibus antiquitas cælum diſtinxerat: in his autem multa fabuloſa, vt ex Higino alijſq; patet. Diſplicuit authori nouæ picturæ, ſplendori cæleſti tenebras fabularum permiſtas eſſe. Veritati lucem, luci veritatem iungere aggreſſus, pri-

ſmas tantum duxit lineas: paulò tamen ante mortem commiſit bono artifici colores inducendos. Hoc artis arcanum per aliquot iam manus à Copernico in Academia IAGELLONIA iuit. De quo cùm ego à præceptoribus ſecretò didiciſſem: vt certiora haberem, in Pruſsiam abij. Tacendo quærebam, veritus nè tam præſtans inuentum, vel potiùs inuenti reſiduum meas manus effugeret, vel vt iſto ſæculo ingenia æmula ſunt non docilia, quoquo modo auerteretur. Ac tandem ab Illuſtriſsimo piæ memoriæ SIMONE RVDNICIO admiſſus ad veteres Varmiæ bibliothecas, quarum nonnullas iam violenta manus inuaſit, dum nihil contemno, dum minutiſſimas etiam chartulas, quibus boni artifices aliquando præſtantiſsima inuenta breuiter committunt, excutio: ad illud Archimedæum εὕρηκα, εὕρηκα, ventum eſt. Deiecit antiquas quadraginta octo imagines, nouas quadraginta nouem induxit, fortaſſe ob ſeptenarij dignitatem, vel quod magis credo, vt medium

haberet

haberet ab extremis æqualiter distans. Quæ enim tabella huius septenarij, illa quoq; totius seriei media est, hoc est vicesima quinta. Deus bone quàm pulchra! quàm nitida! quàm omnibus sæculis atq; locis communis! Singuli versus stellæ sunt, nulli elisioni, vel vt Mathematicè loquar, nulli Ecclipsi obnoxiæ. Iam ante sedecim annos præmisso primo prodromo, de hac re nonnihil indicaueram: deinde ante decem cùm in Italiam irem, altero sub auspicijs Illustrissimi & Reuerendissimi Domini, Domini MARTINI SZYSZKOWSKI, Dei Gratia Episcopi Cracouiensis: eorumque exemplaria nonnulla minuta forma Romam ad amicos meos, nominatim verò Reuerendum Dominum ABRAHAMVM BZOVIVM transmiseram. Sed & ad alios per Germaniam. Viderintne illa Bayerus aut eius successores, Deus quidem nouit. Certè neq; ijsdem principijs, neq; ijsdem medijs, & si ad eundem finem insistunt. Examinabuntur hæc vti existimo ab ijs qui

 felicissi-

felicissimum Lynceorum institutum sequuntur. Licebit cuiq; pro suo arbitratu cælum, quod in hæreditatem cunctis relictum est Plinio teste, distinguere. Ego hanc dispositionem à primo inuentore Copernico Sanctæ Sedi Apostolicæ destinatam ex antiquis Bibliothecis produco: Tuæque Sanctitati

Magne parens, ter sancte parens, cui credita cæli
Imperia, auspiciis dudum firmata Deorum

supplex offero. Liceat enim vti tui doctissimi Vatis carmine. Deus Te Beatissime Pater Ecclesiæ Sanctæ diutissimè conseruet, vt Meliphtongæ Tuæ Apes mel suauissimum publicæ per orbem tranquilitatis proferre nunquam cessent.

Sanctæ Apostolicæ Romanæ Sedi,
& Tuæ Sanctitati
obsequentissimus

Ioannes Broscius Doctor Medicinæ, Baccalaureus Sacræ Theol. & eiusd. facultatis Ordinarius in Acad. Crac. Professor.

✠✠✠

SIDVS I.

Christum à Prophetis promissum proponit.

PRomissum cupitis cernere principem,
Qui vos in populum quandoq; liberum
Præstans asserat heros,
In regnoq; suo beet.

Expectate parum, mox aderit pius:
Non est is Pario marmore durior,
Nec quisquam citus æquè
Votis annuit optimis.

Sed

Sed differt animi consilium sui,
Vt desideriis feruidioribus
Expectatus hic hospes
Possit gratior excipi.

Cùm verò veniet Pastor Olympius,
Tum distenta ferent vbera candido
Plenæ lacte capellæ,
Plenæ pignorbus bonis.

Non iumenta ferus disiiciet Leo,
Mulcebit pauidam mitis ouem Lupus,
Hic nascetur amomum,
Illic cinnama, saccarum.

Pascet lanigeras Pastor ouiculas,
Omni læta dabit pascua copia,

Vno

Vno millia fonte

Potabit ſitientia.

O fons perſpicuo ſplendidior vitro,

Summis orte citra principium iugis,

Huc delabere tandem

Gentis pelle tuæ ſitim!

SIDVS II.

Chriſtum à Patribus deſideratum proponit.

C*VR ſic aula domus empyreæ patet?*

Et ſol ante latens clarior emicat?

Dulci mella liquore

E duris ſcopulis fluunt?

Mundus bellipotens attonitus silet,
Pulchris læta nitent arua coloribus,
Miro fragrat odore
Aër his nimium locis?

Prægnans Helisabeth quæ sterilis fuit,
Cum prægnante canit virgine carmina,
Claro iubila plausu
In summos abeunt polos.

Illam sæpe frequens Angelus in domum
Læta fronte volat, lætior euolat:
Regem nunciat illum
Qui venturus agit moras.

O summi soboles inclyta principis
Pura nascere iam, nascere virgine!

Iam

Iam descende paterno
Expectate nimis sinu!
Te desiderio poscimus intimo,
Consolare pios ocius anxios.
Eia vise supernè
Imam paruule patriam!
Felix ante sacras vna puellulas,
Quæ cæleste suo fert vtero decus!
O aurora serenum
Velox Luciferum vehe!

SIDVS III.

Christum de virgine natum præsefert.

QVis fulta posuit te puer in casa?
Quis lædi tenerum frigoribus vetat?
Virgo summa MARIA
Quæ flauam religat comam.

Simplex munditiis dotibus aurea,
Quam semper nitidam, semper amabilem,
Sanctus Spiritus aura
Cælesti replet intimè:

Natum virgineo confouet in sinu,
Et lactat niueo nobilis vbere,
Dat solatia flenti
Mater sedula filio.

Hinc bos, hinc asinus creber anhelittu
In terra posito te refouet genu.

Quem

Quem plebs nosse negabit,

Hunc norunt animalia.

Descendit superis huc quoque de polis

Cantans Angelicus cum radiis chorus:

Summo gloria Patri:

Pax sit pacis amantibus.

Ad præspe sono protinus exciti

Pastores veniunt à grege simplici:

Christo gloria nato:

Pax sit pacis amantibus.

Cælum dulcisonis carminibus sonat,
Per mundi resonant iubila machinam:

Vni gloria trino:

Pax sit pacis amantibus.

SIDVS IV.

Christum iuxta legem circumcisum declarat.

LVx octaua suo lucet in ordine:
Lux diuina noua lucet origine:
Infans nomen IESVS
Circumcisus habet datum.

Ex hoc annus habet principium die
Quo primum voluit fundere sanguinem
Nuper natus IESVS
Largis non sine lachrymis.

Omnes huc homines currite perditi:
Hic est nostra salus vnica paruulus:

San-

Sanctum nomen IESV

Nomen nempè salutis est.

Si quis iuncta videt damna periculis,

Amissisq́ timet pauperiem bonis:

Hunc ditabit IESVS,

Illum si pius inuocet.

Si cui Leuiathan insidias parat:

Si mundus satagit vel caro fallere:

Hic exoret IESVM

Fiet tutior illico.

Si quem tabificus morbus habet diu:

Si cum terribili morte premit pauor:

Se commendet IESV

Et solatia sentiet.

Hoc

Hoc quicunque nouum nomen amabile,

Per concepta sibi vota vocauerit,

Hunc seruabit IESVS,

Fretum præsidio suo.

SIDVS V.

Christum à tribus Magis adoratum exhibet.

QVod fulget medio sidus in aëre,

Hanc reges Ephratæ ducit ad insulam.

Ecquem vultis? IESVM?

Ista sub casula latet.

Ingressi stabulum sternimini solo,

Et proni puerum corpore paruulum,

Regem

Regem mente ſupremum

Confeſtim veneramini.

Surgentes humili poplite cernui,

De gazis puero munera promite,

Aurum, Thusq́ Sabæum;

Et myrrhæ lacrymas grauis.

Nunc vultum pueri cernite blandulum:

Nunc cum matre licet Virgine colloqui:

Hic eſt noſter IESVS:

Huic nomen MARIÆ manet.

Hunc olim Balaam pollicitus fuit

Viſurum Dominum ſe procul impius:

Hæc eſt ſtella Iacobi

Splendens gentibus ex domo.

Spectatum satis est iam Proceres pij:
Gentes ista sciant nuncia plurimæ:
Promptis ite camelis,
Pergentes aliam viam.
Herodes etenim rex nimis improbus
Est vulpes animo callida subdolo,
Mox mactaret JESVM
Hic si nosset eum fore.

SIDVS VI.

Christum in templo præsentatum manifestat,

P*Ræsagit mihi mens nescio quid boni:*
In templum placidus nos animus vocat.

Si

Si dignaris eamus
Mox, mox mi Simeon ſenex.
Aras ſummus adit ſuſpice Pontifex:
Et de more ſacras immolat hoſtias:
Diuerſis holocauſtis
It cælo redolens odor.
En præſtans humili mente puerpera
Offert hunc Domino filiolum Deo:
Torquataſq́ columbas,
Crepans cereolum ſacrum.
Hanc matrem reliquo conſimilem gregi,
Luſtrariq́ ſuo cum puero putant:
Atqui virgo pudica
Sanctorum Dominum gerit

A quo tanta precor lumina dimicant?
An ſol totus in hanc inſiliit domum?
Hac lux fulget ab ara?
Non: hoc à puero venit.

Tardos accelera mi Simeon gradus:
Vlnis & puerum ſuſcipe feruidis;
Huius lumine vultus
Iam vultum ſatia tuum.

Hunc in te reſidens Spiritus innuit
Quem viſurus eras eſſe Dei micans
Lumen lumine Chriſtum:
Nunc in pace mori iuuat.

SIDVS VII.

Chri-

Christum puerum inter Doctores duodennem collocat.

AD Christum puerum nunc pueri boni
Accedendo piis dicite voculis:
Felix hospes JESV
Expectatus ades diu.

Ecquid quæso vales ? unde redis precor ?
Vt cessere tibi dic age singula ?
Nam nos multa pericla
Vexauere miserrimos.

Herodes furiis impius horridis
Accensus, pueros vndiq; bimulos
Collectos, velut agnos
Ferro consecuit truci.

Qui quodam fuimus numine trimuli
Fratrum terribilem vidimus heu necem!
Planctus astra parentum
Peruenere sub aurea.

Ægypto radij saluus ab infima
Multos ante dies in patriam meam:
Hic autem duodennis
Cælestem veneror patrem.

Ad me candiduli currite paruuli:
Viuendi specimen sumite nobile:
In sacram simul ædem
Hanc me concomitamini.

Admiranda Dei cernimus in domo:
Doctores medio cum puero senes

Disce

Disceptant super illo

Messia memorabili.

Quàm prudenter inops verba facit puer!

Quàm solerter eis explicat abdita!

Nunc interrogat illos:

Nunc respondet acutius.

Doctos ingenium cælitus inditum

Non longi senium temporis efficit:

Hic canus puer est bis:

Hi sunt his pueri senes.

A N N V M E R A V I.

A N N O Q V O

Bis septem Phæbus, rerum pulcherrima bis sex
Roma capit, Lunæ quinq; ter orbis habet.

(1629)

CRACOVIÆ.
In Officina Francisci Cæsarii.